



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

**Ioannis Tollenarii Brvgensis e Soc. Iesv Specvlvm
Vanitatis Sive Ecclesiastes Solvta Ligataq. Oratione
Dilvcidatvs**

Tollenaer, Jean de

Antverpiæ, 1635

Sectio Septima.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-68633](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-68633)

SECTIO SEPTIMA.

ECCLESIASTES.

VERS. 14. Est & alia vanitas, quæ fit super terram: sunt iusti, quibus mala proueniunt, quasi opera egerint impiorum: & sunt impij, qui ita securi sunt, quasi iustorum facta habeant. sed & hoc vanissimum iudico.

METRICA PARAPHRASIS.

QVI nutu sola terrarum,
 Rutilasque domos aetheris alti
 Numine torques, arbiter orbis!
 Qui sub leges castra polorum
 Stellata vocas: ut nunc fratris
 Obuia flammis radio strictum
 Propiore acuat Cynthia cornu,
 Nunc expansâ luce serenâ
 Agmina noctis gemmea ducat;
 Nunc libra die somnique pares
 Pensitet horas, Phæbumque pari,
 Phæbenque pari portitor Helles
 Jure gubernet. Nunc solstitio
 Bruma niuali quot sub tenebris
 Merferat horas, totidem Phæbus
 Lucis adaucta sorte rependat,
 Dum sub Cancri statione micans,
 Serò Thetidos redit in gremium.
 Qui Ioue medio vacuum Æolidas

Per

Per mane regis. Qui nauifragi
 Furias Nerei tenui frenas
 Puluere arenæ. Qui nunc terras
 Versicolori pingis amictu,
 Nunc tacitarum vellere aquarum
 Rigida arua comis viduata foues.
 An cum stabili fœdera mundi
 Lege coërces, nostri tantum
 Securus agis? nec tibi curæ est
 Fouisse bonos, plexisse malos?
 En tibi diris dum iuratos
 Summi exagito Numinis hostes,
 Ordine verso cuncta feruntur.
 Mens egrescit subiecta oculis
 Monstra tuendo: Debita casta
 Præmia menti scelus inuadit:
 Et virtutem, debita sceleri,
 Pœna excruciat. Vidi Heroas,
 Quos emerita virtutis honos
 Afferit astris, pede calcatos,
 Et ludibrio saturos, fieri
 Bacchantum inter pocula carmen.
 Vidi insontes patrio extorres
 Lugere foco. Si fors Martis
 Ingruat horror, prima innocuos
 Quatit immerita clade procella.
 Lubrica si fors verterit orbem;
 Turbine primo dira nouerca
 Pulchrum ducit strauisse bonos.
 Si torret agros Sirius æstu,
 Aut æthereâ tonat arce fragor,
 Sceleris purum ferit ira caput,
 D d d d 3

Prima-

Primaque iustus victima lethi est.
 Contra impietas placida sortis
 Ebria gustu, procul à curis
 Exigit euum. Cumque iniustus
 Sese innocuo sanguine pascit,
 Non tamen illum debita Nemesis
 Ira flagellat. Cumque opprobriis
 Astra lacestat, securus agit
 Cali atque sui, ceu iustorum
 Vita consors, meritisque grauis,
 Speret amico Numine palmam.
 Quin & sortem stabili iures
 Strinxisse fide: nempe ex voto
 Sic cuncta fluunt. Donet tandem
 Vitæque satur, luxurisque satur,
 Pacis alumnus manus votis
 Exigat euum. Proh summe Deus!
 Quanta hic animos, dum rimantur
 Secreta pòli, caligo hebetat!
 Vana tot inter mens agra labat.

PROSA EXEGESIS.

PAENE iam ex longâ iactatione fessus portum ad-
 spexerat Ecclesiastes, perspectisque impiorum sup-
 plicis, in sinu diuinæ prouidentiae conquieuerat; cum
 ecce noua tempestas in maiores eum aestuantis animi
 fluctus denuò resorbet. Viderat ante diuina humanaq;
 iura impunè conculcari, nimis diu impiorum supplicia
 differente, & panè dixerim obdormiscente Nemese.
 Sed animaduertens eos non tam dimissos esse quàm
 dilatos, & grauiori vindictæ referuatos, nonnihil re-
 spirauerat. Nunc autem videns optimos pati acerbissi-
 ma,

ma, eorumque vitam tristissimos exitus sortiri, contra
 vero impiis ad nutum omnia fluere, eisdemque morte
 quam facillimâ frauissimâque defungi; nouam quere-
 larum telam orditur: nouam, inquam, prioris intuitu,
 alioquin sæculis omnibus decantatam, siue ab iis qui ve-
 ri Dei prouidentiam suspexerunt, siue ab iis qui fato ac
 fortunæ mundi gubernacula commiserunt.

*Quærela de
 instaurata
 impiorum
 peccatis ad
 iustos: &
 contra.*

Cicero pro
 Sextio.

Inter quos. M. Tullius, Vno, inquit, ad spectu intueri
 potestis eos, qui cum Senatu, cum bonis omnibus Rem-
 publicam adstrictam excitarint, & latrocinio domestico
 liberarint, mœstos, sordidatos, reos de capite, de famâ,
 de ciuitate, de fortunis, de liberis dimicantes: eos au-
 tem, qui omnia diuina & humana violarint, vexarint,
 perturbarint, euerterint, non solum alacres letosque vo-
 litare, sed etiam fortissimis atque optimis ciuibus peri-
 culum moliri.

*A nullo
 iustis
 iustis*

Prolixior est in his similibusque producendis An-
 næus Seneca, hoc grauissimum animi tormentum esse
 confirmans, dum tam iniqua præmia fortunam vider
 persolvere: dum Socrates cogitur in carcere mori, Ruti-
 lius in exilio viuere, Pompeius & Cicero clientibus suis
 præbere ceruicem, Cato ille virtutum viua imago in-
 cumbens gladio, simul de se ac de Republ. palàm facere.

Seneca de
 Tranquil.
 animi, c. 15
*Viri probi
 inter Eth-
 nicos ex-
 tremam passi.*

Sed vt hos miseros faciam, quos umbra potiùs virtu-
 tis, quàm vera virtus apud posteros nobilitauit, quis
 ignorat, olim veræ sanctitatis lumina, viros inquam
 apud Hebræos illustres, quibus dignus non erat mun-
 dus, etiam acerbis vexatos fuisse? Audite Apostolum.
 Alij, inquit, ludibria & verbera experti sunt, insuper &
 vincula & carceres: lapidati sunt, secti sunt, tentati sunt,
 in occisione gladij mortui sunt. Circuierunt in pelotis, in pel-
 libus caprimis, egentes, angustiati, adstricti. Qui tandem illi?

*Viri iusti
 inter fideles
 indigna
 passi.*

Heb. 11, 36

Jeremias,

Tertull. in
Scorpiaco,
cap. 8.

Jeremias, inquit Tertullianus, lapidatur, Isaias ferratur, Zacharias inter altare & ædem occiditur, perennes cruoris sui maculas filicibus assignans. Taceo Machabæos martyres, quorum illustre certamen nulla unquam ætas obliterabit. Prætermitto tot orbis Christiani flosculos profanis impiorum pedibus obtritos, tot Martyrum rosas innocuo sanguine purpuratas, tot lilia Virginum carnificis gladio demessa, & tamquam orbis quadam catharinata ferro flammisque deputata: cum tamen earum innocentiam vitæque integritatem ipsa tyrannorum confessio non raro commendarit. Cum enim Christianas virgines frequenter ad leonem potius quam ad leonem præclari illi iudices damnarunt, nonne aliud agentes confessi sunt, labem pudicitiae atrocioris illis omni pœnâ omni que supplicio reputari?

Idem in A-
polog. cap. vlt.

Hæc fors est eorum, quos vitæ integritas, & insignis erga Deum obseruantia celebravit. Quid interim impij, flagitiosi, Dei hominumque contemptores? *Tenent tympanum, & citharam, & gaudent ad sonitum organi. Ducunt in bonis dies suos, & in puncto ad inferna descendunt.* Verba sunt innocentissimi Prophetæ Iob, qui vlceribus plenus, & testâ sanie radens, vitæque pertæsus, ac ægram trahens animam, longè disparem impiorum conditionem nimio stupore percussus admiratur; quibus, ut ait Propheta Regius, *non est respectus morti eorum, nec firmamentum in plagâ eorum*; aut, ut Aquila exponit, nulli cruciatus interueniunt morti eorum, nec firma aliqua aut diuturna ægritudo eos detinet, viresque sensim depascitur, sed integros & obesos repentina mors omni fastidio liberat. Qualem nobis Nabal Carmeli describit Regum historia, qui cum Regiam magnificentiam luxu conuiuiorum æquaret, terrore Davidis incusso,

Iob 21, 12.
Impij inter
voluptates
vitam de-
gunt, &
facili mor-
te defun-
guntur.

Psal. 72, 4.
Aquila
ibid.

1. Reg. 25.

inCUSso, repente absque omni doloris fastidio ad instar saxi obrigit.

Et quâ tandem vitæ commendatione beatus isti censentur? Dicat idem qui supra Propheta Iob. Hi sunt, inquit, qui dixerunt Deo: Recede à nobis, & scientiam viarum tuarum volumus. Quis est Omnipotens, ut seruiamus ei? & quid nobis prodest, si orauerimus illum? O abyssus diuinorum iudiciorum! ô tenebræ! ô caligo! ô vulnus infirmarum mentium immedicabile.

Etia blasphemis hic laud conungunt. Iob 21, 14.

Non sum nescius, multas hîc rationes in patrocinium diuinæ prouidentiae posse proferri, sed an æger animus, rei que indignitate perculsus iis acquiescat, ignoro.

Primum enim quæritur, quinam illi sint, quos ab omni poenâ exemptos volumus, cum neino liber sit à crimine, ne infans quidem, cuius est omnis dies vita super terram. Nati scilicet in labe, non absque labe viuimus, & celi iam armamentaria sine telo sunt, ut cum Poëtâ loquar,

Nemo immunis à poenâ, quia nec à culpâ.

Si quoties peccant homines, sua fulmina mittat Iuppiter.

Quid lib. 2. Tristium.

Non enim ut pisces in falo nati & alti, falem tamen non referunt, ita censendum est homines in hac mundi face ipsos esse sine face. Si autem omnes in noxâ, cur exemptos esse quosdam volumus à poenâ?

Lips. lib. 2. de Constant. c. 16.

Satis hæc quidem appositè dicuntur, sed non omnem continuo mœrorem æoris mentibus abstergunt. ut enim iustis aliquid subinde labis adhærescat, qui tamen conuenit debitos in impiis cruciatus in eorum caput redundare?

Sed cur meliores peiora patiuntur?

Deinde, pro diuinorum iudiciorum æquitate illud adferri potest, quod homines communione sanguinis vnâ aliquam familiam constituent, ciues earundem

Deus interdum communes infligit poenas propter naturæ communionem.

E e e e

legum

legum vinculo vnam Rempubicam, denique continuatâ temporum serie vnicum existimari corpus regnorum. Quid ergo mirum esse potest, si parentum noxa in filios pœnam deriuat? aut per totam Rempubicam labes propagata innocentes etiam inuoluit? aut denique præteritorum temporum flagitia eiusdem regni luunt posterius? Nam & Medici, vt vni membro faciant medicinam, alterum eiusdem corporis adurunt: & in perduellionis ac maiestatis crimine leges filiis ac nepotibus ad extremam egestatem redactis, vitam quauis morte faciunt acerbior.

Hæc proculdubiò conuincunt, non esse Deo id vitio vertendum, quod Medici, quod Reges ac Principes, quod Rerumpublicarum moderatores sibi volunt licere. Sed ea tamen infirmis restat obmurmuratio, quòd homines eo quo possunt modo aut vulneribus medicinam faciunt, aut pœnas à sceleratis ac facinorosis repetunt; itaque quod maximè opportunum est membrum incidunt aut adurunt Medici, vt ex arte sanitas in totum corpus redundet: & cum in ipsos facinorosos non satis pro rei dignitate vindictam leges possunt exercere, eos qui ipsis coniunctissimi sunt, eadem ruinâ inuolunt. Atqui Deo nunquam deesse potest facultas ipsis flagitiis, personis, temporibus pœnas iustâ proportionem commensurandi. Itaque non omnis hic scrupulus infirmis & lapsantibus eximitur.

Præterea nonnulli vt querelas omnes & inuidiam à diuinâ prouidentia amoliantur, negant Deum obesse bonis, prodesse malis. Omnia, inquiunt, mala ab illis remouit, scelera & flagitia, & cogitationes improbas, & ambitiosa consilia, & libidinem cæcam, & alieno iminentem auaritiam. Ceterum numquid hoc quoque à Deo

*Sed cur
Deus, ut
potest, non
reos ipsos
potius pu-
nit?*

*Deus solida
bona bonis
seruat, de
aphorismis
minor cura.
Seneca de
Prouid. c. 6.*

à Deo aliquis exigit, vt bonorum virorum etiam sarcinas seruet? Remittunt ipsi hanc Deo curam, externa contemnunt. Improbis autem bona falsa circumdedit, & animos inanes fallaci somnio delusit: atro illos argentoque & ebore ornauit; intus boni nihil est. Si non quâ occurrunt, sed quâ latent, eos inspexeritis, miseri sunt ac turpes, in similitudinem parietum suorum extrinsecus exculti.

Sed hæc paradoxa sunt. quis enim ignorat, ad virtutem explicandam plus facultatis esse in diuitiis, quàm in egestate; in sanitate, quàm in aegritudine?

Denique, Si Deus, inquit, iustos rebus arduis exercet, facit quod bonum parentem & strenuum Imperatorem decet: virtutem tyronis sui ac filij corroborat, industriam acuit, ingenium erudit. Plerumque enim quæ nocent docent, quod Græci tam breuiter quàm eleganter exprimunt: παθηατα, μαθηατα. A plagis sapimus. Semper verò esse felicem, nec vquam aduersæ fortunæ obuium fieri, ignorare est rerum naturæ partem alteram. Addunt illud Demetrii: Nihil infelicius eo cui nihil vquam euênit aduersi. Prospera plebeiis ac vilibus ingeniis esse accommodata: at calamitates terroresque mortalium sub iugum mittere, id verò esse animi supra vulgi fortunam eminentis.

Speciosè quidem hæc & ad pompam splendide dicuntur à Stoicis, qui etiam in tauro Phalaridis mugientem, aut in cruce cum Regulo excarnificatum, beatum esse sapientem volunt: & tamen, animâ cum corpore extinctâ, nullam illi post hæc tormenta spem esse reliquam, sibi persuadent.

Apage magnifica hæc insanientis sapientiæ pronuntiata. Profectò nisi diuinæ fidei radius cogitationes no-

Sed in prosperis maior videtur explicanda virtutis materia. Deus iustorum virtutem exercet.

Drexelius Gymn. Pat. p. 2. c. 5.

Id non satis facit, si nihil post huius vita labores superest.

*Æternis
rationibus
vivent; ni-
hil nocet
hac mundi
perturba-
tio.*

stras ultra mortalitatis huius terminos euocaret, & ad vitam æternis rationibus instituendam hortaretur; ad quemuis impij felicis, boni infelicis, occursum mens nostra collabasceret, præsertim cum ne iam quidem satis æstuantium cogitationum fluctus euadat, nisi quantocyus ad portum, quem proximo versu pandit Ecclesiastes, vela conuertat.

S E C T I O O C T A V A.

E C C L E S I A S T E S.

VERSUS 15. Laudavi igitur lætitiã quod non esset homini bonum sub Sole, nisi quod comederet & biberet, atque gauderet: & hoc solum secum auferret de labore suo in diebus vitæ suæ, quos dedit ei Deus sub Sole.

M E T R I C A P A R A P H R A S I S.

PROCUL hinc odora naris

Stolida sagacitatis,

Vinamus, atque edamus

Sereniore fronte,

Sereniore mente.

Quid enim profana turba

Sacratioris aula,

Secretioris urnæ

Decreta iniquiores

Ad calculos vocamus?

Quæ sanxit aula cæli,

Quid terra ruminatur?

Procul